

484

482

488

478

493

473

433

383

Ende

Anfang

469

sanctuario est ascensus per gradus ad summum altare. Ad utrumque latus chori sunt capellae, et in utroque latere navis sunt absides. Et sub choro est crypta nativitatis Domini quasi ad longitudinem chori. Et sub summo altari est petra cava, in qua natus est Christus. Ad illam cryptam sunt duo ostia, primum ad latus dextrum, de capella circumcisiois Domini; secundum de capella sinistri lateris, et est descensus in cryptam per gradus sedecim. Tectum habet plumbo factum, nec est testudinata, sicut nec ecclesiae principales in Roma sunt testudinatae, et habet chorum rotundum, plenum fenestrarum, et transitum ab extra supra fenestras. Et navis ab utraque parte habet fenestras plurimas, et est ecclesia lucida et clara. Et haec est generalis ecclesiae illius dispositio. In speciali ecclesia illa habet in longitudine passus XXXVII, in latitudine vero XVIII. Et hahet quatuor ordines pretiosarum columnarum, quae magnae sunt et altae, et quaelibet per se est de uno integro et indiviso lapide, oleo politae, quod homo potest in eis vultum suum cernere, sicut in speculo. Ita etiam in tabulis marmoreis politis, quibus sunt parietes vestiti, quae ita mundae sunt, quod homo in eis potest videre omnia, quae sunt in ecclesia, clarius quam in bono speculo. Quilibet ordo columnarum habet XII columnas, et quaelibet columna passus VII distat ab altera, et in toto sunt columnae pretiosissimae LXX secundum structurae indigentiam. Super capitella columnarum sunt trabes positi de lignis imputribilibus, a quibus consurgit murus sursum usque ad tectum ab utraque parte, et murus ille a columnis usque ad fenestras est non de pictura, sed de lasura, et opere musaico mirabili orte ornatus ab utraque parte, sicut ecclesia S. Marci Venetiis, cum figuris novi testamenti et concordantiis figurarum veteris Testamenti, et tota ecclesia in omnibus parietibus vel est marmore candido polito tecta vel opere musaico decorata. Super omnia autem specus nativitatis subtus chorum est pretiosissimis pavimentis et tabulaturis ornatus et picturis (179 A). Et in his omnibus sancta foemina nullis expensis pepercit, sed liberalissime contribuit. Propter hoc Judaei derisive nominabant S. foeminam stabulariam, eo, quod supra vile stabulum tam pretiosum erexit aedificium. Cumque sancta foemina opus consummasset,

